

(C.) # In nomine sanctę et induaduę^a trinitatis Fridericus divina favente clementia Romanorum rex augustus. # Ex nostri culmine officii, si quę communi nituntur utilitati, eo obnixius amplectimur, quo gravius incommodum neglecta minantur. Si enim res quelibet utilis soli ac spetiali, quem respicit, homini prodest, communis ac generalis, si negligitur, omnibus obest, presertim cum generalis detrimenti periculum communi ac spetiali simul noceat^b, commodum vero cunctis universaliter assidue faveat. Veruntamen quamvis omni petitioni parati simus acquiescere, quę ad usus hominum et ad utilitatem spectat ęcclesię, precipue tamen his obsecundare proponimus, quorum^c et in adversis sicut et in prosperis idem nobiscum est animus. Igitur super monetę Basiliensium alteratione, quę sui viluit levitate, impuritate, tenuitate, dilecti nostri Ortliebi^d Basiliensis episcopi, principum etiam, cleri^e simul et^f populi^e iustis postulationibus assensum prebemus, ut pondere puritate in melius mutata eadem et in inviolata in predictis permaneat^g omni tempore statuentes, ut nec prefatus episopus nullusve successorum eius in prenominatis eam alterare presumat nullusve extra civitatem in episcopio suo consimili inpressione eam imitari audeat. Quod si forte inventus fuerit, nullus inquam prorsus^h talem violatorem apud se manere toleret, sed maiori reservatum iudicio diocesano, quem lesit, tradat episcopo. In civitatibus autemⁱ seu in castris sive etiam villis, ubi talis contaminator latitare prescitus fuerit, divina censent^j ministeria, ut, cuius causa homines laborant generali dampno, iusto dei iudicio divinis^k careant eiusdem contagio. Addimus etiam, quod^l, si quis contumacia ductus hoc privilegium^m confirmationis nostrę violaverit, banno regali subiaceat et centum libras auri componat, medietatem [ca]meręⁿ nostrę et alteram medietatem predictę ęcclesię. Huius rei testes sunt: Burchardus Argentinensis episcopus, Co%vnradius Eistetensis^o episcopus, Gunterus Spirensis episcopus, Sibertus comes Franthenburc, Ovlricus^p comes de Lenzburc.

Signum domini Friderici Romanorum (M.) regis invictissimi.

Ego Zezicolfus cancellarius vice Arnoldi Mogontini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.
(Sl.1.)

^a so A statt individue

^b o aus u verb.

^c -rum-Kürzung verb.

^d erstes i über l von gleicher Hand nachgetragen

^{e-e} so durch Verweispunkte aus cleri et populi simul umgestellt

^f zwischen diesem und dem folgenden Wort etwas breiterer Wortabstand infolge eines Lochs im Pergament

^g über eat dunkler Fleck

^h so A statt prorsus

ⁱ a verb.

^j so A statt cessent

^k d wohl aus a verb.

^l Unterschaft des q durch Loch im Pergament zerstört

^m so A statt privilegium

ⁿ durch Loch im Pergament zerstört

^o erstes i wohl aus t verb.

^p Ov übereinander geschrieben.